

consecratas per ecclesias ex consecratu episcopi, ut dirigerentur, quod declaratur fermentum'. Et iterum de Siricio¹: 'Hic constituit, ut nullus presbiter missas celebraret per omnem ebdomadam, nisi consecratum² episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum'. Innocentius papa declarat, quid velit ipsa missio, ut quia uno³ domo una coniungi non poterant diebus festis, saltem coniungerentur⁴ fermento, id est dilectione, in una ecclesia. Fermentum hanc vim habet, ut ait Hieronimus, si farine mixtum fuerit, quod parum videbatur, crescat in maius et ad saporem suum universam conspersionem trahat. Fermentum est donum caritatis. Quod si fuerit parum, in corpore multorum corda condit suo sapore, quia caritas⁵ lata est et suo vinculo omnium fidelium corda ligat. Quod significat evangelium, accipiente muliere fermentum et abscondente in farina satis tribus, donec fermentetur totum. Mulier est vir apostolicus, quasi ecclesia, qui suam dilectionem prebet farine, id est clero suo, ut omnes suo exemplo provocet ad veram dilectionem.

Quod pangit Iuvenius presbiter dicens⁶:

Fermento par⁷ est munus caeleste salubri,
 Quod magna condit mulier sub mole farinae.
 Illa dehinc modico fermenti mixta calore
 Conducto unius coalescit corpore massae.

Sive isto modo vocetur fermentum, quod agitur in sabbato memorato, sive alio modo vestra sagax prudentia poterit indagare, presto sum ad disquirendum, si iusseritis.

Hic finit liber. Amen.

1) Anastas. Biblioth. XL. Migne P. I. 128, 110. 2) Ita Anast.; consecratione' Hs. 3) Lies 'in'. W. 4) 'coniungerentur' Hs. 5) 'caritatis' Hs. 6) Evangelicae histor. II, 822 sqq. Ed. Migne 19, 214. 7) So Iuvenius; 'pars' Hs.